

dico vnà cū Christo, vnum Deum respiciendum esse, nequid ambitiose agamus ad captādā apud homines laudem. Huic doctrinæ opponūt, iuuari proximos charitatis officijs.

*Prover. 10. c. 16.*

*Artic. 62.*

*Annotatio,* Quicquid iustus agit, vitā afferre solet, & est salutiferum: at quicquid impius agit, perniciosum est. In *Bibl. 1545.*

*Censura,* Hæc propositio pro vtraque sui parte est hæretica.

Tantum monendi sunt mihi Lectores, vt Salomonis verba cum meis conferant. Dicit ille, Opus iusti, ad vitam: fructus autem impij, ad peccatum. Ego idem prorsus alijs verbis paulo clarioribus, vt ferebat interpretus officium. Pleno ore me hæreticum pronuntiat Sorbona. Viderit Salomon, quomodo simile iudicium effugiat. Imò detestabilis huius diabolicæ scholæ insania omnibus apparet, cui Spiritus Dei in pauculis verbis duplex est hæreticus.

*Iohan. 15. a. 6.*

*Artic. 63.*

*Annotatio,* Opera nulla sine fide. In *Bibliis 1532. 1534. 1540. 1546.*

*Censura,* Hæc propositio in vniuersum

*m. ij.*